



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XXIII. De militaribus officiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

180 DE REPUBLICA
eum deferri noctu solitas, portarumque custodiam tradi : quod munus in liberis Galliae civitatibus illorum est quos vulgo Maiores vocant. Verum quia is rei militaris summam habuit, volo hoc in loco caeteros belli Duces attingere.

C A P. XXIII.

De militaribus officiis.

SUBERANT *πολεμάρχω* duo *ἱππάρχω* equitum magistri, ut refert Harpocracion Aristotelem in Atheniensium politia scriptum reliquisse : quibus non tantum equestris ordo, sed universus quo in loco erant pareret exercitus necesse erat : alioquin animadvertere in facinorosos, imperiumque detrectantes statim licebat. Curabant praeterea ne quis ab ordine, aut à Duce se-

A T H E N I E N S I V M. 181
ce semel delecto recedere indi-
cta causa urgente sine illorum
permisso pœna capitis auderet:
ut modum in victu, & cultu ser-
varet: ne se sarcinis graviolem,
victumque redderet: ne iniuriam
popularibus inferret, & cœtera
huiusmodi militibus præscribi
solita. quibus in observandis mi-
rum quam simus socordes. So-
brietate, continentia, obedientia
olim Galli non tantum Europam
totam subegere, sed & Asiam to-
tam incurrando terruere: nunc
venus, ingluvies, ebrietas, pervi-
cacia, ordinis, & Ducis contem-
ptus, furta, cædes, rapinæ pro-
priorum civium, & popularium
nos deliciis involuentes in con-
temptum vertunt. si interim à
Duce viro probo expetatur pœ-
na de eius milite, audeat turbas,
& factionem excitare, se abdu-
cturum ad alium plures commi-
nari: & hæc patimur: unde inulta

scelera illos furcis quotidie refer-
 vant. Verum frustra queror,
 capita non infrequenter sunt
 membris deteriora. Hoc tam
 difficile, tamque laboriosum mu-
 nus per ταξίαρχους, id est, ordi-
 num præfectos obire solebant.
 Hi enim ordinum Duces, centu-
 riones, decuriones, leviorisque
 armaturæ milites in ordinem co-
 gere solebant, quod Græci πα-
 ρατάξιν dicunt. Erant Athenis &
 decem φύλαρχοι, id est, Tribuni,
 tribuumque præfecti, quos quidã
 scribunt (quibus non facile assen-
 tior) hipparchis præfuisse. Diver-
 sum vero me sentire Demosthe-
 nes facit philippica prima, ὅτι
 ἐξελέγεσθε ἢ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα
 ταξίαρχους καὶ στρατηγούς, καὶ φύλαρ-
 χους, ἔκαστος δύο; τί οὖν ἔστι πο-
 ῖσι; Nonne eligistis ex vobis decem
 ordinum præfectos, ac Duces, tri-
 buumque præfectos, & magistrōs
 equitum duos? hi igitur quid fa-
 ciunt?

A T H E N I E N S I V M. 183
ciunt? Voces diverse, muneris di-
versitatem significant, & ex ordi-
ne dicendi, functionis seriem
monstrant. ἵππῳ^{ῶν} porro, id est,
equites illi, quibus ἵππαρχοῖ
præerant, quotannis ἵππῶ^ν, id
est, sacra equestria persolvere so-
liti erant. Voce *φολάρχος* Græca
usus est Cicero in epistolis fami-
liaribus. Verum ab hac tracta-
tione mihi parum cognita de ex-
perientia, recedo, ne idem mihi
contingat quod olim sapientiæ
professori in Græcia Phormioni
apud Hannibalē contigit. quum
præclare enim, ut literæ huma-
niores nullius rei quantumvis
abstrusæ expertes illum docue-
rant, de re militari ex arte disce-
ptasset, Pœnus subiunxit, multos
se quidem deliros senes sæpe vi-
disse, sed illo uno qui magis deli-
raret, vidisse neminem.

M 4

CAP.